





D. LUDOVICUS GODOFREDUS MADIHN

DIRI CT. UNIV. FAC JUR. ORDIN. EIUSDEMQUE H. T. DEC.

V I R I

CONSULTISSIMI ET MERITISSIMI

CHRISTIANI HOFFMANNI

ELECT. SAXON. PROCURAT. STEUR. REVERENDISS. CAPIT. ECCLES.

CATHEDR. MISN. SYNDIC. ET JUSTITIARII HIRSCHTEIN ETC.

PROMOTIONEM IN JURIS DOCTOREM

PUBLICI JURIS FACIT

SIMULQUE

*CONSUEUTUM IN PRAXI RECEPTUM ET JURE NOVISS. BORUSS. BRAN-  
DENB. CONFIRMATUM MODUM COMPUTANDI IN ANTICHRESI CONTRA  
NOVISSIMAS IMPUGNATIONES SCHMIDII DICTI PHISELDECK*

DEFENDIT.

---

TRAIECTI CIS VIADRUM,


E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

18

489

1797







**E**ISENHARTI a), MUELLERI b), aliorumque, quibus modus computandi fructus in antichresi consuetus iniustus et iniquus visus est, sententiam nouiter defendit, atque quod Jus nouissimum Borussicum communem illum computandi modum, in praxi receptum, etiam agnouerit, aegre tulit Vir Perill. *JUST. de SCHMIDT dictus Phisfeldecki*) et praeterea Codicem illum nouissimum legum Borusso-Brandenburgicarum quoad alium locum et contradictionis et iniquitatis arguit. Sed quod specialiter ad nouum Codicem legum Borussicarum adinet, alia occasione prolixiori ratione defensionem eius suscepturus sum d), hoc loco tantum de iure communi potissimum mihi sermo erit, me-

am-

- a) *Diss. rationem computationis fructuum ex pacto antichretico perceptorum in foro receptum nec iuri nec acquirari conuenire, Helmst 1769. (Ei. opusc. n. 15).*
- b) *Promt. iur. voc. antichr.*
- c) *Ueber die Berechnungsart des herausgehenden Capitals bei der Wiedereinlösung antichretisch verpfändeter Grundstücke, in welchen bei der Aufhebung eines Leibrenten Vertrages mit Rücksicht auf das Pr. Landrecht. (Ei. Miscellaneen, n. 2).*
- d) *Miscellen für Jurispr. u. Gesetzgeb.*

amque sententiam, quam Princ. Jur. Rom. §. 227. exhibui, quibusdam argumentis defendam, quo ipso autem simul dispositio Iuris Borussici, quoad hoc momentum, servabitur.

I. Putat Vir generosus. *de SCHMIDT, creditorem antichreticum*, quum in contractu pignoratitio non seorsum adici so-  
leat, ut fructus quantitatem usurarum excedentes  
quotannis debitori redderentur, etiam *nullo modo  
in mora esse constitutum, adeoque nec ad usuras ex mora  
soluendas esse obligatum*, potius excedentes fructus a cre-  
ditore tum demum esse restituendos, si specialiter a  
debitore peterentur, i. e. instituta actione pignoratitia,  
adeoque soluto demum debito pignoratitio. Quam-  
vis res, ut equidem ego puto, ex aliis plane argumen-  
tis diiudicari et decidi debeat, nempe ex principiis de  
compensatione, indeque hoc argumentum proprie  
rem ipsam non tangat, tamen et illud falsum mihi vi-  
detur propterea, quod omnino creditor antichreticus  
moram committit, si fructus quantitatem usurarum ex-  
cedentes retinet, eos in suos usus convertit, aut pecu-  
nia inde redacta utitur, usuras ex eadem percipit etc.  
Etsi enim vi pacti antichretici creditor iure fructus perci-  
piendi gaudeat, tamen istud ius non ad alium finem ha-  
bet, quam ut inde usuras conuentas accipiat, adeoque  
non ut damno debitoris locupletior fiat, sed ut usurae per  
fructus rei oppigneratae quotannis solvantur. Id in-  
dicat omnino natura pacti antichretici, quod etiam ita de-

definitur, id quoque clare legibus indicatur) et propter nullam aliam rationem antichresis inuenta et recepta est. Quod si igitur creditor maiores fructus percepit, et hi quantitates usurarum excedunt, non potest non hos fructus, siue naturaliter consumti sint atque locupletior inde exsistat, siue ciuilliter consumti sint, i. e. pecuniam inde acceperit, absque omni iure tamquam rem alienam possidere, consequenter omnino in mora esse. Siue enim creditor tamquam mandatarius siue tamquam negotiorum gestor spectetur, in utroque casu semper obligatus est) ad reddendos fructus superfluos, indeque si hoc neglexit, usuras quoque ex mora omnino soluere debet. Poni quoque haec mora debet absque interpellatione debitoris, partim, quoniam debitor nescit, an aliquid detractis usuris quotannis in fructibus supersit, partim quoniam creditor nullo iure gaudet superfluum retinendi, et ideo ad eius restitutionem et rationes reddendas ipso iure tenetur. Huic accedit, quod si creditor retinet fructus excedentes, is nunc debitoris sui debitor fiat, ideoque paratio locum habere debet etc. de qua restatim plura. Ex hactenus dictis, nisi omnia me fallunt omnino patebit, Virum illustrem obligationem creditoris ad fructus superfluos quotannis perceptos restitu-

e) L. 8 D. in quib. consf. pign. tac. contr. Cum debitor gratuita pecunia utatur potest creditor (sed si moram committit debitor, ut optime h. l. interpretatur MATIANSIUS Disp. IV. 33) de fructibus rei sibi pignoratæ ad modum legitimæ usuras retinere.

f) L. 12 §. 9. D. mand. L. 19. §. 4. de neg. gest.

tuendos precario in id tempus demum differre, quo actio pignoratitia instituitur, seu quo rationes a creditore postulat debitor.

Deinde II. putat Vir generosiss. *tandiu creditorem bonae fidei possessorem fructuum perceptorum manere, donec superfluum peteretur.* Ast ex praedictis contrarium potius sequitur, creditor ipso iure potius tenetur reliquum sponte quotannis offerre, quod si non facit neque b. f. possesor amplius est, neque dici potest, eum fructus ex superfluo perceptos iuste lucrari.

III. *Communes leges in Germania non adesse ait, quae eam computandi rationem firment.* Sed non desunt leges g) quae ius percipiendi fructus ad legitimum usurarum numerum restringunt, et in genere jam ex legibus tam communibus quam germanicis prauitatem usurariam strenue prohibentibus, liquido deduci potest, creditori tantos solum fructus deberi posse, quanti ad usuras conuentas quotannis soluendas requiruntur. Quod si enim superfluum absque obligatione usurarum retinere possit creditor, omnino maiores usuras acciperet, quam quae legibus tolerantur.

IV. *Quod si in legibus Romanis, philosophatur porro Vir iste, creditori obligatio imposita esset, quae naturae pacti antichretici antea expositae repugnaret, dubitandum etiam esset de earum valore et adplicatione.* Sed vellem ne ista dixerit Vir illustr. Quamvis enim omnino non inu-

ti,

g) L. cit. §. D. in quib. caus. pign. rac. contr.



tile, potius gratissimum opus cuiusque Icto esse debeat, de ipsis legibus philosophari, eas scrutari, in earum iustitiam seu conuenientiam cum instituti natura, indole et aliis legibus inquirere, tamen absit omnino, ut philosophandi pruritus, precariam ratiocinationem, et cerebrinam aequitatem ipsis legibus scriptis praeferramus, putemusque, simulac nostra ex opinione cum natura rerum lex scripta non conueniat, eam reliquendam esse illique superfederi posse.

- V. Tandem opinatur, etiam in legibus romanis nullum locum obuenire, ex quo obligatio creditoris, fructus perceptos primum in rationem usurarum, et deinde reliquum in ipsam sortem computandi, adeo ut inde fors quotannis diminuat, inferri posset. Verum quidem est, Ius Romanum clare hunc modum computandi non praescribere, potius ibi *h)* solum dicitur: *fructus ex pignore percepti imputentur in sortem — creditor, qui praedium pignori nexum detinuit, fructus, quos percepit, vel percipere debuit, in rationem exonerandi debiti computare necesse habet — Quod ex operis ancillae vel ex pensionibus domus, quam pignori detinere dicis, perceptum est, debiti quantitatem releuabit.* Ast non solum ex mente horum verborum — *exonerandi debiti* — sed etiam ex regulis de compensatione ista ratio computationis fructuum necessario oriri debuit. Simulac enim creditor plures fructus percepit, quam usurae legitimae permittunt, creditor rem alie-

b) L. 1. C. de pign. acc. L. 3. C. eod.

alienam absque omni iure retinet, saltem eius intuitu debitor fit sui debitoris, indeque *statim et ipso iure compensatio obtinet*, etiamsi unum debitum usurarium, alterum vero non usurarium dici possit *1)*. Quamdiu igitur leges compensationem admittunt, et quamdiu ab omnibus legibus scriptis principia de compensatione fuscipi debent, tam diu etiam ista ratio computandi legalis videri debet, et semper obtinebit. Fac enim creditorem M. thaleros mutuo dedisse sub obligatione usurarum quincuncium, eumque ex re oppignorata quotannis percipere fructus 100 thal. tunc deductis primi anni usuris ad 50 thal. omnino reliquos 50 thaleros indebite accepit, et absque omni titulo retinet propterea, quod alias usurariae pravitatis se reum faceret, aut mandatarii et negotiorum gestoris officia transgrediatur, eamque ob rem quotannis debitori suo debet 50 thaleros, seu quod idem est, debitor quotannis illi soluit hos 50 thal. Quid, quod et ipse Vir generos. fateatur, creditorem omnino quidem hoc superfluum restituere debere, sed addit, id non statim non quotannis, neque sub obligatione usurarum praestandarum, quoniam alias creditor usuras usurarum solueret. Ergo ex ipsa confessione aduersariorum adparet, creditorem *nomine debitoris sui* solummodo superfluum posside-

*1) L. 1. 2. 3. 4. 21. D. de compensat. — Cum alter alteri pecuniam sine usuris, alter usurarium debet, concurrentis apud utrumque quantitas usuras non esse praestandas.*

fidere, illudque superfluum ad debitorem seu dominum rei pignorate pertineret, ergo recte defendimus creditorem fieri et esse debitorem debitoris sui, consequenter debitor quotannis cum ipsa sorte compensare potest excessum horum fructuum perceptorum seu ut iam diximus, debitor creditori suo solvit, ideoque sequenti anno non amplius 50 thaleros usurarum nomine exigere potest creditor, sed solum 47½ etc. Quae cum ita sint, non possum non mirari, qui fieri potuit, ut *EISENHARTO* ceterisque huius sententiae fautoribus, Viris alias Juris peritissimis, hic computandi modus iniquus videri potuerit, quum tamen aequissimus sit, neque ullus alius computationis modus propter principia de compensationibus, cum legibus consistere possit. Frustra quoque opponitur, *in nostro computandi modo obvenire usuras usurarum*. Namque non tam usurae usurarum computantur et praestari debent a creditore, qui re oppignorata utitur fruitur, quam potius solum a solutis quotannis 50 thaleris nullas amplius usuras legitima ratione petere potest. Exinde igitur adparet, neque Juri communi neque etiam Borussiae novissimo contradictionem obiici posse, quod scilicet usurae usurarum alias prohibitaee in hoc computandi ratione admitterentur. Etenim non magis hoc in casu usurae usurarum admittuntur, quam illae in eo casu obveniunt, si summa debita per particulares solutiones indeque etiam usurae, quotannis diminuuntur.

B

Sed

Sed instas, creditor ad particularem solutionem accipiendam, sese non obligauit? Respondeo, in dubio omnino is, qui rem oppignoratam fructiferam accepit, fructusque exinde percipit, etiam in particulares solutiones consensisse censendus est. Quodsi autem creditor, re vera particularem solutionem accipere nolle, simulque de ista obligatione jure communi dubitari adhuc possit, etiam de jure communi illi integrum foret, superfluum quotannis debitori exhibere, quo facto debitor istam summam iterum sub usuris elocare, et sic alia ratione debitum suum extinguere potest, scilicet dum solutos fructus superfluos asseruat donec totum debitum soluere posset.

Praeterea in hoc computandi modo nullas vsuras vsurarum a creditore exigi exinde quoque adparet, quod si tantos fructus perceperit, vt fors ipsa soluta sit, non nisi ab annuis residuis vsurae simplices, non autem iterum ab usuris annuis, usurae computentur. Exempli causa creditor soluto jam debito 770 fructus rei oppignoratae percipere pergit, et post aliquot annos, instituta actione pignoratitia ad rationes reddendas simul euocatur, tunc quidem quotannis 100 thal. et ab his iterum usurae, non vero ab his usuris iterum usurae computantur. Queritur autem annon melius et iustius esset, ut de his quinque residuis etiam usurae, sicque usurae usurarum praesententur, et vtrum hoc jure communi defendi possit? Prius omnino defenderem,

ea

ea ex ratione, quoniam is, qui soluto debito rem alienam amplius possidere pergit eaque utitur fruitur, iniuste eam detinet, et plerumque m. f. possessor et instar furis et praedonis est, adeoque et recte omnes fructus parceptos (fortasse enim quotannis usuras iterum sub usuris elocavit creditor, aut in suos usus convertit) et percipiendos, (si usuras acceptas tanquam novam sortem iterum elocare potuisset) praestare deberet. Sed quod posterius adtinet, opinionem hanc etiam in proposita quadam specie applicari posse negarem, dummodo equidem ego nullatenus adhuc casum in iure communi inuenire potuerim, quo usurae usurarum admisae sint. Contendit quidem *HOMMEL, k)* de pecunia, quam tutor in suos usus vertit, etiam usuras usurarum exigere posse, sed leges non adtulit. Et *L. 17. §. 12. D. de administr. et princ. tut.* quam hunc in finem allegatam, nescio apud quem inueni, non de usuris ab usuris praestandis, sed de eo casu loquitur, si tutor vel curator usuras ex sorte pupillari exactas usibus suis retinuerit.

Sed properamus nunc ad proximum huius scripturae scopum. Indicandam etenim a nobis est, Virum clarissimum et Jurisconsultissimum *CHRISTIANUM HOFFMANNUM Elect. saxon. Procurat. steur. et reverendisf. eccles. cathedr. Misniensis Syndicum* etc. e re sua putasse, ut summos, quos Jurisprudencia habet, ho-

no-

k) *Rhaff. obs. 696.*

nores a nostro Ordine peteret. Innuit Ordo noster precibus his honestissimis lubentissime, et postquam vitae suae curriculum sequens:

*Natus est CHRISTIANUS HOFFMANNUS Chemnicii, anno post mille et septingentos, quadragesimo septimo, die V. Januarii, patre Joanne Godofredo, quondam ciue honesto, et matre Christiana Sabina, nata Hauckia. Prima aetate usus est institutionibus tam avi materni, Johannis Lucae Hauckii, et parentum optimorum, quam aliorum praeceptorum. Deinde Lyceum frequentauit patrium, ubi Hagerum et Füngerum in iis, quae ab humanitate nomen trahunt, duces habuit.\*)*

*Anno MDCCLXV. Lipsiam adit, et a Winklero, susses Academiae tunc temporis tenente, numero ciuium academicorum adscriptus est. Ab eo inde tempore duces sequutus est viros summe reuerendos, excellentissimos doctissimosque, Ernesti sen. et Clodium in philologicis et antiquitatibus, Burscherum, Boehmum et Franckium in historicis, Rudolphum in mathematicis, Seydlitzium in philosophicis, Gellertum moralia decentem, nec non Sammetium, quem jus naturae, institutiones justinianeas, digesta, jus publicum universale et feudale, Breuningium, quem historiam juris, institutiones, et jus criminale, Homelium, quem ius canonicum et germanicum, Püttmannum, quem ius cambiale, et Segerum, quem ius criminale praelegentes audiuit. Processum iudicarium percepit ex ore Richteri, et artem, acta iudicialia extrahendi atque relationes ex illis*

*\*) Non sine laude nostrum Virum ex hoc Lyceo tunc temporis dimissum fuisse testatur Programma B. Hageri de Scylace Geographo antiquissimo, illiusque peritio 1765.*

conficiendi, debet Bauero, artem disputatoriam autem Se-  
gero, Wisando et Graenio; in examiniibus exercitus  
est ab Apelio.

Intra hoc spatium academicum terque quaterque tenuit  
locum publicum opponentis, absolutis vero studiis, praeuente  
laudato D. Breuningerio, publice defendit ad MDCLXVIII. di-  
sputationem de iure meliorationis rei usufructuariae, ab usu-  
fructuario factae, et superato examine, confectoque ex actis  
judicialibus specimine, a Facultate juridica Lipsiensi approbato,  
a praefato Franchio, comite palatino, dignitate Notarii publici  
exornatus, atque paulo post a Regimine electorali non solum  
in munere Notariatus confirmatus, sed etiam, praeuio elabora-  
to specimine, numero aduocatorum insertus est.

Interim ipsi occasio contigit, ut, simul atque Lipsiam re-  
liquerat, et iussu auunculi spectatissimi, D. Christiani Fre-  
derici Hauertii, quondam Fribergorum consulis meritisimi,  
cujus memoriam ob singularem, quo eum amplexus est, amorem  
nunquam mandabit obliuioni, Fribergam attigerat, b. Schnei-  
derus, juri dicundo multis in agris obrutus, ipsi vices Actuarii  
committeret.

Effluxo anno, et quod excurrit, petit Misenam, eo ani-  
mo, ut ibi causas in foro oraret. Quo non sine successu fa-  
ciens, SENATUS hujus urbis spectabilis commisit ei anno  
MDCLXXII. prouinciam poliographi, cui quidem officio per  
23. annos usque ad annum MDCCXCV. praesuit, in simulque  
1. am causas in foro pro aliis dixit, quam ad iussum Serenissi-  
mi Saxoniae Electoris ab anno MDCLXXIX. Procuratorio

nomine causis supremi aerarii per Circulum Misnicum agendis operam collocavit, nec non ab anno MDCCXC. e gratia celsissimi Comitis a Lofs, Ser. Princ. Electori a consillis sanctoribus primi rerum Saxoniae extraneorum administri, hucusque in ipsius terra hereditaria Hirschstein iudicium direxit.

Tandem reverendissimi, illustrissimi gerossimi atque magnifici Domini, Praepositus, Decanus, Senior, caeterique ingenuae ecclesiae cathedralis Misnensis Canonici Capitulares mense Augusti MDCCXCV. Syndici Reverendissimi Capituli et juris dirigendi atque dicendi provinciam benignissime ipsi contulerunt.

vna cum aliis speciminibus et praecipue scriptis forensibus, quae non contemnendos Jurisscientiae profectus spirant, nobis exhibuit, Juris utriusque gradum privilegia ac jura Viro Doctissimo tribuit, quod publicis hisce litteris non solum testamur, sed etiam optamus, vt Deus ter optimus maximus Vnum meritissimum in salutem reipublicae per longissimam annorum seriem incolumem ferret, et ut vir clarissimus nobis favere nunquam desinat. Scrib. d. XXX. Septbr. MDCCLXXXVII.









Frankfurt a. O., Diss., 1776-77

ULB Halle  
007 520 611


3



W18







D. LUDOVICUS GODOFREDUS MADIHN

DIR. CT. UNIV. FAC JUR. ORDIN. EIUSDEMQUE H. T. DEC.

V I R I

CONSULTISSIMI ET MERITISSIMI

CHRISTIANI HOFFMANNI

ELECT. SAXON. PROCURAT. STEUR. REVERENDISS. CAPIT. ECCLES.

CATHEDR. MISN. SYNDIC. ET JUSTITIARII HIRSCHTEIN ETC.

PROMOTIONEM IN JURIS DOCTOREM

PUBLICI JURIS FACIT

SIMULQUE

CONSUEMUM IN PRAXI RECEPTUM ET JURE NOVISS. BORUSS. BRAN-  
DENB. CONFIRMATUM MODUM COMPUTANDI IN ANTICHRESI CONTRA  
NOVISSIMAS IMPUGNATIONES SCHMIDII DICTI PHISELDECK

DEFENDIT.

TRAIECTI CIS VIADRUM,

E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

18

489

1797

